

sed ut eos agitent, insectenturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae, fraudisque cruciatu. Quod si homines ab injuria poena, non natura arcere deberet, quatenam sollicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus, aut justis sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a naturae jure aliquo quaereret. Quae si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis? Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudine, deterret ab injuriosa facinorosaque vita: nemo est injustus, aut incauti potius habendi sunt improbi. Tum autem, qui non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem, et judicem? quid, in deserto quo loco nactus, quem multo auro spoliare posset, imbecillum atque solum? Noster quidem hic natura justus vir ac bonus, etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet: is vero, qui nihil alterius causa faciet, et metietur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit, se illi vitam erepturum, et aurum ablaturum; nunquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe judicet, sed quod metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant!—Sequitur, ut conclusa nihil jam haec sit omnis ratio, id quod ante oculos ex iis est, quae dicta sunt, et jus, et omne honestum, sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam aequitatem, et jus ipsum amant, nec est viri boni, errare, et diligere, quod per se non sit diligendum. Per se igitur jus est expetendum, et colendum: quod si jus; etiam justitia. Sic reliquae quoque virtutes per se colendae sunt. Quid? liberalitas gratuitane est, an mercenaria? si sine praemio benigna est, gratuita: si cum mercede, conducta: nec est dubium, quin is, qui liberalis,